



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XIII. Vtrum natura lapsa sufficiat ad dilectionem Dei naturalem super
omnia, absque auxilio Gratiae per Christum, saltem cum non adest
tentatio grauis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Ad 4. Cui occurrit levis tentatio, quod non occurrerit gravis, aut grauissima, est Gratia solum externae protectionis, vt communiter dicitur, & est Gratia intrinsece naturalis. At, cum occurrerit grauissima ipsa tentatio, requiritur pro potestate morali eam superandi Gratia, intrinsece supernaturalis, operans positivè, & non tantum remouendo prohibens. Licet autem vnum quemlibet aliquando liberare Deus possit ab occurssu grauium temptationum; fieri tamen ex natura rei non potest, vt omnis, & semper, aut etiam vnus aliquis per longum tempus liberetur à temptationibus, quae respectu naturae lapsae secundum se sint graues, aut grauissimae, & solum respectu Gratiae supernaturalis sint leues, ac facile superabiles. Quare ea Gratia est absolute necessaria ad diurnam legis naturalis obseruantiam, tametsi necessaria non sit, pro superandis temptationibus, quae respectu eiusdem naturae leues sunt.

Ad 5. Illa ratio probat optimè subiacentem peccato personali, non posse perseuerare diu absque nouo peccato, si non resipiscat, etiamsi inuenitur per auxilia ordinaria Gratiae, iuxta illud Gregorij homil. 11. in Ezech. post med. *Peccatum, quod mox per penitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Caterum inde non efficitur, non superesse aliam rationem impotentiae moralis inductae per peccatum originale, vt iam patuit.



QVÆSTIO XIII.

Vtrum natura lapsa sufficiat ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque auxilio Gratiae per Christum, saltem cum non adest tentatio grauis?



IDEVR tunc saltem sufficere. 1. Quia quando non adest tentatio grauis, eadem prorsus est potentia, ac sufficientia naturae lapsae, atque purae, à qua videlicet deficit lapsa natura, solum ratione grauiorum temptationum irruentium in ipsam. Natura autem pura sufficeret ad dilectionem Dei super omnia, vt pote quae esset ordinata ad illam, tanquam ad finem suum, nec haberet impedimentum, dum conseruaretur pura. Ergo etiam natura lapsa sufficit ad eandem, dum non vrgetur graui aliqua tentatione.

2. Natura lapsa est sufficiens sine Gratia ad alios actus heroicis motui vniuersalis, qualia sunt motiua Obedientiae, Religionis, & similia. Ad istiusmodi enim actus admittitur sufficiens natura lapsa, sine Gratia, cum non adest grauis tentatio, ab iis omnibus, à quibus admittitur sufficientia absque gratia ad aliquod bonum opus morale facillimum, & minimum, vt admissa est quaestione praecedenti. Ergo etiam est admittenda sufficientia eadem moralis sine gratia ad dilectionem Dei naturalem super omnia, saltem cum non adest grauis tentatio. Patet consequentia. Quia quilibet actus motui vniuersalis est impossibilis cum omni, & quouis peccato lethali; Atque adeo continet in se obseruantiam totius Legis, & consequenter victoriam omnium difficultatum aduersus ipsam, non secus, ac dilectio Dei super omnia. Ergo nullo ex capite haec potest esse difficilior, quam illa.

3. Quod maius bonum proponitur voluntati, eò efficacius illam mouet, & pertrahit ad se, & consequenter reddit habilem ad superandas maiores difficultates. Motiuum autem dilectionis Dei est summum bonum. Ergo voluntas est magis etiam potens ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque villo auxilio Dei supernaturali, quam sit potens ad villo alios actus bonos, quorum tamen aliquos dictum est fieri posse sine Gratia supernaturali. Est vero magis potens, etiam si adsint grauissimae quaelibet difficultates, vt pote quibus praeponderat vis attractiua infinita Dei bonitatis.

Art. 1. Respondetur. Dilectio Dei super omnia continet in se potestatem moralem obseruandi totam Legem, naturalem quidem, si dilectio sit naturalis; supernaturalem verò, si supernaturalis sit. Nempe dilectio vnus super aliud est dispositio animi facile patiens iacturam posterioris, ne amittat illud prius. Qui enim amat honorem super diuitias, adueniente necessitate alterutrum amittendi, altero contentio, facile praecipit diuitias, vt consulat honori; & ex duobus Amicis, qui praeter altero diligitur, praerulet similiter cum facili iactura alterius. Hinc Ioan. 14. dicitur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Vbi ex dilectione praesenti colligitur obseruantia legis, non solum praesens, sed etiam futura. Et licet sermo ibi sit de dilectione Dei supernaturali, eadem tamen ratio est, de dilectione naturali in ordine ad legem naturalem, quae est de supernaturali in ordine ad supernaturalem. Vtraque enim *firmat cor in Deo; ita vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari velit*: vt habetur ex D. Thom. 1. 2. quaest. 109. artic. 8. Et discrimen est solum, quod naturalis oritur ex cognitione Dei, vt auctoris naturalis, concipiente proinde ipsum relatè ad ea, quae naturaliter occurrere possunt, tam congruentia ipsi, quam eidem contraria. Vnde consequitur, vt dilectio naturalis firmet cor in Deo, in ordine ad contemptum bonorum naturalium, & in ordine ad superandas difficultates contrarias, quae naturaliter occurrere possunt: dilectio verò supernaturalis, etiam in ordine ad ea, quae supernaturaliter possunt occurrere.

Artic. 2. Caterum vtraque in eo conuenit, vt vnaquaeque in ordine suo confortet hominem in ordine ad totam Legem sibi correspondentem. Quapropter id etiam vtrique commune est, suo modo, quod habetur apud Apostolum: *Charitas patiens est, benigna, &c.* Quod sane de nulla alia virtute docemur: quia scilicet sola Charitas est, quae vi sua inducere potest reliquas omnes virtutes, imperando earum actus, & superando omnes difficultates contrarias. Idemque praestat dilectio naturalis in ordine ad ceteras virtutes naturales, & difficultates contrarias naturaliter occurrentes. Continet ergo in se dilectio Dei naturalis obseruantiam totius Legis naturalis, non quidem, vt postea non possit nihilominus deficere; quia, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 8. *Potest homo ex praemeditatione rationis aliquid agere praeter ordinem finis praconcepti, & inclinationis habitualis relictæ ex actu praexistenti*, bene tamen, ita vt moraliter sit potens perseuerare absque aliquo lapsu lethali; vt conuincit ratio praedictionis quae fit de Deo per eius dilectionem.

Art. 3. itaque qui sic diligit Deum, quando non occurrit vlla tentatio grauis in contrarium, vt non habeat in animo dispositionem ad illam superandam, quandoque occurrit, non diligit absolute Deum super omnia; esto diligat super ea, quae in contrarium tunc occurrunt, quando concipit dilectionem, sicut is, qui diligit hominem tempore felicitatis, non diligit eum amicabilem, si ex tunc non ha-

bet

bet paratum animum ex vi dilectionis ad eandem constanter retinendam, ingruente aduersitate. Igitur dilectio Dei super omnia, siue naturalis, siue supernaturalis, quodcumque, & in quibuscumque circumstantiis concepta, per seipsam est potentia moralis ad obseruantiam totius Legis, siue naturalis, siue supernaturalis, proportionem seruata, ita vt fundet spem prudentem, certe non penitus imprudentem, qualis concipitur circa ea quæ sunt moraliter impossibilia, de præstanda tota lege, & de superandis quibuscumque difficultatibus in contrarium. Dictum autem est quæst. præced. obseruantiam totius Legis naturalis, & victoriam grauium temptationum esse moraliter impossibilem respectu naturæ lapsæ destitutæ Gratia supernaturali. Ergo eidem absque eadem est moraliter impossibilis dilectio Dei naturalis super omnia, quæ est sententia communis Theologorum cum D. Thoma quæst. illa 109. ar. 3.

Ad 1. Transeat contingere aliquando, vt homo in statu naturæ lapsæ sit æquè bene dispositus animo, & corpore, intrinsecus, & extrinsecus, atque foret in pura natura, quod tamen est difficile ex dictis quæst. 9. & quæst. proximè præced. Negandum nihilominus est in natura lapsa non requiri plus dilectionis, ad hoc vt absolute dicatur super omnia, quam requisitum fuisset, non modo in statu naturæ integræ, verum etiam in statu naturæ puræ. Quia est de conceptu dilectionis super omnia promptitudo animi ad superandas omnes difficultates contradicentes rei amatae, & coniunctioni affectuæ cum eadem. Difficultates autem, quæ possunt occurrere in statu naturæ lapsæ, sunt longè maiores, quàm quæ occurrere possent in statu naturæ, vel integræ, vel etiam puræ. Ergo dilectionem Dei oportet esse multò maiorem, vt absolute sit dilectio super omnia comparatione status naturæ lapsæ; Et quidem eo gradu excessus, qui est moraliter impossibilis naturæ lapsæ, etiam pro instanti pro quo nullum est, aut vix est vllum impedimentum temptationis, vt liquet ex dictis.

Ad 2. Actus aliarum virtutum concepti ex motiui vniversalis sunt impossibiles cum quouis peccato lethali; non tamen continent in se necessariò potestatem moralem, & promptitudinem animi vniversalem, qualem continet in se dilectio Dei super omnia. Hæc enim, propter præstantiam incomparabilem sui motiui, & dignitatem specialissimam eiusdem, habet vim specialissimam solidandi in bono, & resistendi cuius contradictioni, quam ceteræ virtutes nequaquam habent, propter debilitatem sui motiui, quæ maxima est, si comparatur cum Deo. Nulla igitur est consequentia obiectionis, cui perperam confidit P. Ripalda.

Ad 3. Motiui dilectionis Dei est vsque adeò validum ex se, vt perfectè cognitum necessiter voluntatem. Ceterum naturæ lapsæ non valet nequidem auferre necessitatem moralem ad oppositum. Quia ratione peccati originalis obscuratur intellectus in ordine ad Deum, & diuina, & tantumdem acuitur in ordine ad temporalia, & inhonestia, vt liquet ex dictis superius semel atque iterum de debilitate naturæ lapsæ. Vnde quod est validissimum, ex sua natura, sit debilissimum: validissimum verò, quod est natura debilissimum, quoad vim pertrahendi voluntatem.



QVÆSTIO XIV.

Vtrum natura lapsa sufficiat moraliter ad vitanda omnia peccata venialia collectiue cum auxiliis ordinariis Gratia?



IDEVR sufficere. 1. Quia potentia moralis vitandi seorsim singula peccata successiue, est potentia moralis vitandi totam eorum collectionem collectiue. Nam vitare singula seorsim successiue, est vitare totam collectionem collectiue. Neque enim aliter vitaret totam collectionem collectiue, qui potiretur speciali Dei privilegio, quàm vitando singula seorsim successiue. Quod si vitare singula seorsim successiue, est vitare totam collectionem collectiue; posse moraliter vitare singula seorsim successiue, est etiam potentia moralis vitandi totam collectionem collectiue. Nempe quorum existentia est eadem, est etiam eadem qualibet eorundem possibilitas, & potentia, quod est euidentissimū. Inest autem naturæ lapsæ potētia moralis ad vitanda singula seorsim peccata venialia successiue cum auxiliis ordinariis Gratia. Nec enim est maior difficultas in vitatione cuiusque venialis seorsim, quàm in vitatione cuiusque lethalis seorsim. Certum verò est, ex sæpe citato testimonio Tridentini, posse moraliter vitari singula seorsim peccata lethalia successiue cum auxiliis ordinariis Gratia, quandoquidem definitum est, totam eorum collectionem esse moraliter euitabilem. Omnia igitur peccata venialia collectiue sumpta vitari moraliter possunt cum auxiliis ordinariis Gratia.

2. Vitatis nouem peccatis venialibus cum auxiliis ordinariis Gratia, superest adhuc, ex vi eorundem, potentia moralis vitandi decimum, quo supponatur compleri multitudo moraliter inuitabilis collectiue cum auxiliis ordinariis. Ergo fieri potest, vt illud viterur de facto. Atqui eo vitato, vitata erit de facto tota collectio sumpta collectiue. Ergo cum auxiliis ordinariis vitari moraliter potest tota ea collectio. Eadem porro ratio est de qualibet alia collectione peccatorum, dierum, annorum. Assumptum autem communiter admittitur, & paulò post patebit negari non posse.

3. In statu puræ naturæ potuisset vitari potentia antecedenti, & consequenti tota collectio venialium. Ergo etiam potest pro statu præsentis cum auxiliis ordinariis Gratia supernaturalis. Pater consequentia. Quia auxilia supernaturalia ordinaria omnia, non solum valent ad æqualitatem virium puræ naturæ, sed etiam ad excessum, aliàs foret melior status quoad modum supernaturalis, restituens bona puræ naturæ, quàm status Eleuationis, ac Reparationis. Probatur antecedens. Quia homo naturali lege tenetur ad vitandam totam collectionem venialium: Nec enim licitum est velle, etiam vagè, committere aliquod veniale peccatum aliquando. Et tamen licitum est velle id, ad quod vitandum non obligat Lex. Nequit autem naturali lege teneri homo ad id, quod est naturaliter impossibile. Est autem naturaliter impossibile, quod pro statu naturæ puræ fieri non posset, non solum potentia antecedenti; sed etiam consequenti. Quatenus non solum ea potentia frustra est, quæ non potest reduci in actum, sed etiam quæ nunquam reduceretur, præsertim si hoc ei conueniat per se, & iuxta exigentiam suæ naturæ.